Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26502
Copyright: Admont, Benediktinerstift

nalis voluntas adiutorio originalis iusticie et gracie destituta. et sibi ipsi relicta. amplius per se non potuit stare et resistere inclinacioni virium inferiorum et sinorum obiectorum. sicut patuit per auctoritatem Augustinus supra positam. ¶ Ex predictis igitur solucionibus et racionibus patet. quod primus homo per peccatum tamquam per causam removentem prohibens. scilicet originalem iusticiam et graciam conservantem hominem in sua originali sanitate et in mortalitate. incidit in infirmitatem corporis et anime. et mortalitatem. id est moriendi necessitatem. cum ante peccatum potuit mori. et non mori sicut potuit peccare et non peccare. Et pro tanto non potuit habere regressum ad beatitudinem ad quam fuerat a principio creatus et destinatus. nisi sanata sua infirmitate et reparata inmortalitate. Quod quia per se non potuit ut infra patebit propter hoc sanacione et reparacione ab alio et per aliud indigebat. Qualiter personalis culpa primi hominis viciare potuit naturam.

XXV. Dubitaciones et circa cognicionis quam querebatur. Dato quod primus homo per peccatum incurrit infirmitatem et mortalitatem id est moriendi necessitatem ex parte corporis et anime utrum illa culpa personalis ipsius primi hominis inficere potuit naturam. Ita ut propter hoc natura humana in posteris Ade indigeret sanacione. Respondeo et primo ad id quod dicebatur obponendo ex verbo Damasceni. Quod natura humana in homine dicitur communem speciem que ex culpa personali primi